



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 31. Schisma Alexandrinum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

rum; id igitur Patriarchæ aperiens roga-
 vit, ut se ad Cellam suam dimitteret. Pa-
 triarcha volens ei in omnibus morem ge-
 nere, suppeditatis omnibus, quæ erant
 necessaria, ad Lauram suam dimisit. Ibi
 Vir Sanctus in Turri sua exigua decum-
 bens initio Decembris convocatis Lauræ
 Patribus, iisdem Melitam Berytensem
 Abbatem dedit, ipsum hortatus, ut Mo-
 nasteriorum suorum traditiones, quas
 scriptas obtulit, conservaret. Tum cum
 dies quatuor nemini loquens & cibum
 non sumens exegisset, Sabbato nocte im-
 minente petita & accepta Communione
 reddidit animam, quinta Dec. Indictio-
 ne decima Regni Justiniani anno sexto,
 seu anno 531. annum vitæ agens nona-
 gesimum quartum. Dicunt Græci, se
 hodieque in officiis Divinis Ordinem in
 Laura S. Sabæ institutum servare.

Sæculum VI.
 A.C. 531.

Mart. Rom.
 5. Dec.

§. XXXI.

Schisma Alexandrinum.

Ecclesia Alexandrina diu Schismate
 scindebatur. Eutychiani quidem
 dominabantur, sed in duas Sectas divisi
 quarum origo hæc fuit. Cum Severus
 Anti-Patriarcha Antiochenus inde fu-
 gens Alexandriam se recepisset, aliquis
 Monachus ex eo quæsit, an Corpus
 Jesu Christi corruptibile vel incorrupti-
 bile dicendum esset. Severus respondit,
 Patres

Sæculum VI. Patres Christi Corpus dixisse corruptibile; alias enim negari veritatem Ipsius

A.C. 531.

Lib. rev.
c. 19.

Passionis, eique Corpus phantasticum & imaginarium affingi, quod Manichæi facerent. Eadem Quæstio Juliano Halicarnassensi in alia Ægypti Parte latitanti proposita. Ipse Eutycheis principiis inhærens dixit: *Corpus Jesu Christi semper incorruptibile fuit; quia si dicimus, fuisse corruptibile, Distinctionem inter Corpus Jesu Christi & Verbum Dei admittimus, ex quo sequeretur, nos in Jesu Christo duas Naturas admittere. Quam vero aliam ob causam Concilium Calcedonense impugnamus?* Cum deinde quisque suam opinionem vellet defendere, atque alter adversus alterum libros ederet, Alexandrinæ Civitatis Populus in Partes abiit. Sectatores Severi dicti sunt *Corrupti Cultores*, id est, Corrupti Adoratores, & Juliani Affectæ *Incorruptibiles* seu Phantastici vocati. Aliquis Diaconus Alexandrinus, cui nomen Themistius, alterius Schismatis Auctor fuit, seque separavit a Communione Timothei Patriarchæ, modo huic modo alteri Parti faventis.

Sup. XXXI

s. 44.

Justinianus Imperator datis litteris Timotheum Constantinopolim venire iussit, compulsurus virum, ut ad sinum Ecclesiæ Catholicæ rediret, aut Sede sua dejecturus. Dum autem Timotheus, quæ ad profectionem necessaria erant, parat, moritur,

ritur, postquam annos ferme octodecim in Episcopatu egisset. Post ipsius obitum majores vires cepit funestum Schisma, duorum æmulorum ambitu. Clerici & Potestates Sæculares favebant Theodosio, viro docto, Severi Discipulo, de Secta *Corruptibilium*. At Monachis & Populo Gajanus Archidiaconus Juliani Discipulus & Secta Phantasticus placebat. Ea Alexandriae consuetudo servabatur, ut Neo-Electus Episcopus apud corpus defuncti Antecessoris sui vigilaret, manum capiti imponeret, ipse sepeliret, & tum S. Marci Pallio collum inferens Sedis Episcopalis possessionem caperet.

Sæculum VI.
A.C. 531.

Lib. brev.
c. 20.

Theodosius ordinatus est sub Vesperum in Ecclesia Cathedrali, vi Decreti a Clericis editi, id postulante Calotychio Cubiculario, qui Imperatricis partes sequebatur, accedente Dioscori Præfecti & Aristomachi Ducis Auctoritate. Dum vero ad corpus sui Antecessoris Cæremónicas funebres inchoare parat, a Populo Monachisque, quibus in ejus Electione nulla pars fuerat, prohibitus est, ex Ecclesia pulsus, atque Gajanus introductus. Gajanum aliqui ex Clericis, Civium opulentissimi, Artificum ordines, Milites, Nobiles, & tota Provincia, tuebantur, quorum favore trium Mensium Episcopus fuit. Interim Imperatrix Theodora mis-

Schisma
Alexandriæ.

fo

Sæculum VI.
A.C. 531.

so Imperatoris nomine Narsete Cubiculario Theodosium tanquam prius ordinatum in Possessionem reduxit. Gajanus primum Carthaginem in Exilium missus, deinde in Sardiniam. Quænam postea fata expertus fuerit, nescimus. Theodosius anno uno & Mensibus quatuor. Alexandriae permanfit. Pauci autem cum ipso communicabant, pluribus Gajano inhærentibus.

Imo Gajani Fautores Narsetis milites aggredi ausi sunt; Mulieres quoque e domorum tectis, quidquid præ manibus erat, in subeuntes conjiciebant. Nonnulli utrinque occisi. Tandem Theodosius tot Seditionibus fatigatus Constantinopolim profectus est, & ab Imperatrice honorifice exceptus. Promiserat illa Imperatori, Theodosium Concilium Calcedonense recepturum; cum vero id constanter recusaret, urbe excedere, & in loco sex Milliariis distante quasi in Exilio subsistere jussus est.

§. XXXII.

Collationes Constantinopoli.

Interim Justinianus Imperator Sectatores Severi ad unitatem Ecclesiæ reducere cupiens, Constantinopolim accersivit Hypacium Archiepiscopum Ephesinum, Joannem Vesinensem, & Innocentium Maroniensem. His junxit tres alios, qui

*Collat. to. 4.
Conc. p. 17. 3.*